



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia**

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones  
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Venetiis, 1593**

3 Vtrum prædestinatio sit certa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

**AD PRIMVM** ergo dicendum, quod non, & hoc non importat in Deo imperfectionem potentie, sed quia hoc non habet rationem possibilis. Nam omnis virtus actiua producit effectum sibi simile. Omne autem quod agit, agit in quantum est ens actu. ergo effectus agentis est ens actu. Quicquid ergo repugnat ei quod est esse actu, repugnat potentie actiue, quod esset, si contradictoria simul essent.

**AD SECVNDVM** dicendum, quod esse aliquid infinitum actu posset suspicari ex primo aspectu, quod est impossibile, quia sequeretur illud esse æquale Deo: sed hoc non sequitur, quia ei quod est infinitum omnibus modis non adæquatur illi quod est infinitum vno modo. Dato. n. quod est ignis infinitus secundum magnitudinem, non adæquabitur Deo, quia & si sit finitus ignis in quantitate, tamen est quid finitus specie: Deus autem omnibus modis est infinitus. Cui ergo queritur, utrum sit possibile Deo facere aliquid infinitum in actu, dicendum quod non: potentie agentis per intellectum aliquid repugnat dupliciter. Vno modo, quia repugnat potentie eius: alio modo quia repugnat modo quo agit. Primo modo, non repugnat potentie Dei absolute, quia non implicat contradictionem: sed si consideretur modus quo Deus agit, non est possibile. Deus. n. agit per intellectum, & per verbum quod est formatuum omnium, unde oportet quod omnia que agit, sint formata. Infinitum autem accipitur sicut materia sine forma: nam infinitum se tenet ex parte materie. Si ergo Deus hoc ageret, sequeretur quod opus Dei esset aliquid informe, & hoc repugnat ei per quod agit, & modo agendi: quia per verbum suum omnia agit, quo omnia formantur.

QUÆSTIO III.

ARTICVLVS IIII.

Utrum predestinatio sit certa.

**DEINDE** quæsitum est de predestinatione, utrum sit certa, & videtur quod non, quia possibile est predestinatum damnari, sicut Petrum si fuisset statim mortuus, quando peccauit Christum negando. Si vero dicas quod predicta locutio est de dicto uero, de re uero non. Contra, quia hoc habet locum in formis separabilibus: sed hæc forma, que est predestinatio, est inseparabilis.

**RESPON.** Dicendum, quod predestinatio est quedam pars diuine prouidentie: prouidentia autem dicit directionem aliquorum in finem, & hæc presupponit scientiam & uoluntatem. Sic ergo predestinatio habet certitudinem ex parte scientie Dei, quod non potest falli: & ex parte uoluntatis diuine, cui non potest aliquid resistere: & ex parte prouidentie, que certissimo modo ducit ad finem, cum Deus sit sapientissimus.

**AD PRIMVM** ergo dicendum, quod predestinatio habet certitudinem, & tamen non est necessarium predestinatum saluari, sed remanet contingens. Dicitur enim, quod hæc certitudinem ex scientia, uoluntate, & prouidentia, & nullum istorum contingetiam impedit. Scientia non, quia scientia Dei est futurorum, prout sunt in presenti, & secundum hoc sunt determinata. Voluntas non, quia uoluntas Dei est principium totius entis. ergo non cadit sub ratione contingetie, uel necessitatis: sed hæc effluunt & ordinantur ex Dei uoluntate, & sic ipsa Dei uoluntas facit quadam esse contingetiam, comparando causas contingentes illis rebus, quas uult esse contingentes: & similiter necessitas causarum & effectibus necessariis, & sic uoluntas Dei semper implet, non tamen omnia necessario eueniunt, sed eo modo quo Deus uult ea esse, & uult quod sint contingentes. Prouidentia non, quia non tollit contingetiam.

**AD SECVNDVM** dicendum, quod bona est distinctio. Sed ad obiectum de formis dicendum, quod aliter est de formis realibus, & aliter de predicatis, quæ important aliquid pertinens ad actum rationis, quia in primis, scilicet realibus, si in eis debeat habere locum talis distinctio, oportet inesse separationem in re: & in consideratione in secundis non requiritur, sed oportet quod res illas cadat super alia consideratione: & sic dico quod iste predestinatus potest considerari uel ut in se, uel ut diuine cognitioni relatus, & sic uno modo attribuitur ei quod possit damnari, alio modo non.

ARTICVLVS IIII.

Utrum omnia subsint fato.

**DEINDE** quæsitum est de fato, utrum omnia subsint fato.

**RESPON.** Dicendum, quod primo oportet scire quod sit fatum, & sic postea facilius patebit ad propositum. Videmus autem multa contingenter euenire, & ideo olim fuit dubium utrum ista que uariabiliter & inordinate contingunt, reducuntur in aliquam causam ordinantem: & qui dicunt non, dicunt fatum nihil esse, ut Tullius dicit. Quidam dicunt quod in aliquam causam superiorem ordinantur, & isti nominauerunt fatum a fortis, quasi hæc omnia sint præfata a quadam superiore causa. Sed horum est triplex opinio. Quidam. n. reduxerunt hoc in quandam seriem causarum, quam dicunt fatum, sicut stoici, qui dicunt quod nihil est quod non habeat causam, & postea causa necesse est ponere effectum. Si ergo euenit, uel est talis, uel talis effectus habuit causam, & hæc causa aliam causam, & sic deinceps: sicut aliquis est occisus de nocte, quia exiit domum, quare exiit domum, quia situit, quare hoc, quia falsa comedit, & sic quia comedit falsa ex necessitate moritur. Aristoteles respondet negans domino prima. Primo, quod non quicquid sit, habet causam, sed tantum quod sit per se. Quod autem ego occidat me exesite, est per accidens. Secundo, dicit quod non posita causa ponitur effectus, quia potest impediri, & ideo non sequitur, uel non stat series causarum. Alii reducunt hæc in aliam causam, scilicet in corpora celestia, ex quorum necessitate dicunt omnia accedere, unde dicunt quod fatum nihil aliud est quam uis positionis spherarum. Hæc autem opinio dupliciter est falsa. Primo, quantum ad res humanas, quæ proueniunt ab intellectu, qui cum sit uirtus incorporea, non subiacet actioni alicuius corporis, & ponere animam subiacere uirtuti corporum celestium, nihil aliud est, quam ponere intellectum non differre a sensu, ut dicit Phil. in 1. de anima in fine: tamen per accidens, & occasionaliter subditur anima celo in quantum intellectus afficitur per passionem corporis, non tamen ex necessitate mouetur ab eo. Secundo, quia multa in rebus naturalibus contingunt quæ non accidunt ex necessitate celi, sed per accidens, & non habent causam. Alii reducunt omnia hæc in causam supra celestem, scilicet in prouidentiam Dei, qua omnia sunt prædeterminata, & ordinata, & secundum istos fatum erit quidam effectus, prouidentie, quia prouidentia nihil aliud est quam ratio ordinis rerum, prout est in mente diuina: fatum uero est explicatio illius ordinis, prout est in rebus. Vnde Boetius. Fatum est immobilis dispositio rebus mobilibus in herens. Sic ergo accipiendo fatum, potest dici quod omnia subiiciuntur fato. unde dicitur Osee 2. super illud. Non uocabis ultra Baalim, sed uir meus, quod idem est utrumque: sed Deus nomen hoc, quia Baalim nomen erat cuiusdam gentium, & ideo sunt uitanda nomina gentilium, cum quibus nec nomina conueniunt.

Quodlib. S. Tho. K 2 ha.

1. p. q. 25. a. 3  
ad 3. & ar. 6.  
o. & ar. 8. ad  
3. & ve. q. 6.  
a. 3. o. & ar. 2.  
24

D. 324.

Tex. ce